



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXXXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Lvdovicvm Balbvm Regem.  
Deplorat mortem Caroli imperatoris patris eius. hortatur vt pacem habeat  
cum regibus consanguineis suis, & ecclesiae inimicos ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

propitio, secundum datam nobis diuinitus potestatem vobis auxilium, & optatam in omnibus consolationem conferre auide cupimus, & sub beati Petri apostoli vos, si opus fuerit, tuitione protegere, & illæsam, ceu filiam carissimam conseruare studebimus; si ad ipsius apostolorum principis limina vobis venire contigerit. *Interim confortare* 1. Cor. 10.  
*in Domino, qui consolatur vos in omnibus, nec patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.* De cetero autem ea quæ mandastis multis impedimentis occupati, quæ præfatus comes cum multiplicibus insidiis nobis præparat cupitque inferre quotidie, perficere nequiuimus: at Deo tranquillitatem vitamque præbente, cuncta quæ vestræ voluntati vtilia sunt, lubenti animo perficiemus, quibus vester honor & gloriæ vigor incunctanter appareat integer. Dextera Domini vos in omnibus illæsam conseruare dignetur. Data vt supra.

## EPISTOLA LXXXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD LVDOVICVM BALBVM REGEM.

Deplorat mortem Caroli imperatoris patris eius. hortatur vt pacem habeat cum regibus consanguineis suis, & ecclesiæ inimicos persequatur, præcipue Lambertum ducem, cuius diras infestationes commemorat. denique in Galliam se venturum, ibique Synodum celebraturum significat.

*Ludouico glorioso regi, filio diuæ memoriæ Caroli II.  
 imperatoris Augusti.*

QVANTO deinde amore dilectionis, pro tantorum bonorum virtutibus, & pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem vestrum dilexerimus cultibus, horum, Christo conscientia nostræ teste, absque lacrymarum effusione factorum reminisci nullatenus possumus. Et quamquam gaudendum sit, quoniam eundem, post felicitatis cursum operis, inter angelorum cœtum paradisi susceperint præmia vitæ perennis, flendum nihilo minus conuenit, quod tantum adiutorem ecclesiarum Domini diffusarum in or-

*Concil. Tom. 24.*

P ij

be presentia corporali, heu proh dolor! amiserimus. Præ-  
 fertim cum hoc in tempore sancta Romana ecclesia, ma-  
 ter omnium, quæ meæ mediocritati commissa est Iesu  
1. Cor. 10. aterni dispositione consilii, in quo, vt cum Apostolo  
 pace quorum cumque dixerim, fines sæculorum deue-  
 nerunt, in tot persecutionibus atque aduersitatibus diu  
 laceffita, domesticorum debacchatione fatigetur, vt co-  
Psal. 69.  
Psal. 119. gar cum Propheta erumpens exclamare: *Veni in alti-  
 tudinem maris, & tempestas demersit me. & rursus: Domi-  
 ne libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.*  
 Sed vos, fili carissime, hortor ac moneo paterno amo-  
 ris affectu, eius imitari in ecclesiarum exaltatione ve-  
 stigia vitæ spiritualis, cuius floris decore natus regia digni-  
 tate existis. Primum vt pacis vnitatem vinculumque ca-  
 ritatis cum fratribus vestris, nimirum Ludouici regis Ba-  
 ioariorum filiis, cumque fidelibus Christianis tenens, de-  
 mum contra insanientis rabiem, atque tyrannos, paterno  
 prouocatus exemplo, virtutem roboris, Christi auctorita-  
 te, in defensionem matris vestræ, a qua & potum prædi-  
 cationis in proavis, & infulam imperii accepistis, me-  
 dullitus viriliterque effundere valeatis. Quia, quod di-  
 ci sine lacrymarum imbre nullomodo potest, prodiit in  
 hoc tempore apud nos ex massa peccati radix ac fo-  
 mes nequissimæ perditionis Lambertus Vvidonis quon-  
 dam Spoletani ducis horrendus filius, fatemur membrum  
 antichristi, qui aduersatur & extollitur derogando ad-  
 uersus ortum regalis progeniei, & se turpis lucri cupidum  
 clandestina machinatione, rapacitatis ardore, nunc huc  
 atque illuc tergiuersando, cum mœcha sorore Rotilde,  
 cumque complice suo infido Adelberto marchione, imo  
 patriæ prædone, ad fascem, vt vera fama volitat, impu-  
 denter, quod Deus auertat, sustollere Romani imperii. &  
 nunc, vt pote abominatio desolationis, atque perditionis  
 filius, caput scorpionis & aspidis furdæ, destruit dilapidans,  
 perque nequam suos disperdit prædones omnem termi-  
 num sancti Petri ac Pauli protectorum vestrorum, vbi  
 & pro qua re omnes pene nostri fideles in paupertatem  
 ac necessitatem redacti videntur, sacramentisque vt sibi  
 conspirent, & ne ad nostram occurrant iussionem, om-  
 nis territorii sanctorum apostolorum homines constrin-

gere non omisit. Nunc etiam Tarentum legatione directa Paganis, donaque transmittens, atque ab eis accipiens suppliciter deprecatus est, ut sibi, cum significatum fuisset, phalangæ Agarenæ ad perniciem Christiani populi quantocius deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitia, & per periurium, in sinu ecclesiæ nostræ nos deceperit, urbemque sacram inuasit, hic ea ideo prætereundo filemus, quia in alio opusculo ad omnium Christianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodauimus, nonnulla conscripta tenemus. Pro qua re, domine fili carissime, contra noua & inaudita in Christianis mala, nouum iam fessus & fatigatus certaminis laborem, naualis scilicet periculi, fluctusque maris, assumere desiderans, me tantis periculis ad vos veniens do pro ecclesiarum sanctarum omnium liberatione, iuxta Apostolum non faciens animam meam preciosiorem quam me. Et ecce, quantum ad mei ministerii regimen spectat, non recusō pro Christi Domini ouium, ope eius, liberatione mori, detrimentumque sufferre. Vos quaeso obnixè, vos, fili carissime, lacrymas meas arduumque laborem aspiciat, & ad defensionem sanctæ matris vestræ, vestrum animum fideliumque vestrorum adhortatione continua præparate, & mecum vnanimiter lupis rapacibus baculos redargutionis studete tenere: quatenus, duce Vnigeniti gratia, post longa temporum spatia, cooperatores effecti nostri certaminis, de purpura terreni imperii ad coronam venire valeatis perpetuam: & epistolas reliquas, quas confratribus vestris, Carolomanno videlicet, & Ludouico, atque Carolo iuniori, dirigimus pro talium adhortatione, precamur gloriæ vestræ decentiam easdem illis sine mora destinare dignemini, omnibusque reuerentissimis archiepiscopis, & clero totius ordinis regni vestri, paterna peto adhortatione significari præcipite quoniam Domino miserante apud vos Synodum celebraturi sumus cunctis populis Christianis pernecessariam. Quæcumque nosse vos cupimus, sane deinceps sumus acturi de negotiis ecclesiasticis. Te quoque, carissime fili, auctoritate sancti Spiritus Dei nostri, ad vicem genitoris vestri domni Caroli perpetui imperatoris Augusti, a secretis constituo meum consiliarium, qui, ut dici assolet, pars animæ meæ fuit. & quæ-

que agenda sunt, coge adunaque consilium: quia in fonte tui cordis primum intingendus calamus, deinde manus nostra formabit characteris apices.

## EPISTOLA LXXXVIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM BAIORIORVM REGIS FILIVM.

Hortatur ad seruandam pacem cum patruelibus. inuehitur in Lambertum Spoletanum ducem. rogat episcopis significet vt ad Synodum accedant.

*Hludouico Baioariorum regis filio.*

*Prou. 10.*

**S**CRIPVTM enimvero in Salomone legimus: *Filius sapiens lætificat patrem, & est gaudium matris quæ genuit eum*: quapropter, quoniam te, Ludouico filio Caroli, Ludouico filio Ludouici regis, æternitatis præscientiæ suæ consilio omnipotens Deus ex regum, imperatorumque est dignatus producere profapia, & tunc illum plene lætificare contenditis, si vestræ matri eiusque immaculatæ sponsæ aduersus infidantium ictus, atque illius laceratores tota virtute concurritis, omni quoque nixu more parentum, proauiorumque vestrorum auxilii consolationem conferre spreta personarum acceptione quarumlibet quantocius festinatis, sancti Spiritus per Salomonem verbis testantibus; *Frater & amicus in angustiis comprobatur*: & bene nobis filiatio adoptionis vestræ spiritualis fauere valebit, si pacis & vnanimittatis cum fratribus vestris, Christo opifice, concorditer tenere consulte satagitis vinculum: quia in vestra pace fatemur, toti Christiani populi salus consistit, qua demum necessitate, quæue fatigati angustia, relicta sede propria apostolici culminis, compulsi sumus Franciam petere, vosque paterno affectu deposcere, quatenus vna nobiscum positi de communi saluatione sanctæ Romanæ ecclesiæ & reipublicæ statu tractaremus, in paucissimis nunc patefacimus: quia in alio opusculo, qualiter nefarie fit peractum, ad omnium Christianorum notitiam reseruetur conscriptum; quod luce clarius aduertitis. Lambertus Spoletanus perfidus dux Vuidonis quondam stirps, perditionis filius in quantam superbiam pro cupiditate, vt fama vera se habet, Romani imperii eruperit, in nostris tribu-

*Prou. 17.*